



Disputatio juridica inauguralis de tutelis

<https://hdl.handle.net/1874/345143>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TUTELIS.

QUAM
PRÆSIDE SUMMO NUMINE
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,
JACOBI VALLAN,

M. D. Præcos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
NEC NON
*Amplissimi Senatûs Academici consensu, Nobilissimæque
Facultatis JURIDICÆ Decretò,*
PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,
Eruditorum examini subjicit,

CORNELIUS RUYL, HARL. BAT.
Ad diem 30. Maji hora locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clc lbc xci.

P A T R I Æ

NEC NON

Hujus Studii Juridici

DOCTORIBUS

ATQUE

FAUTORIBUS

UT ET

CONSANGUINEIS

OMNIBUSQUE

A M I C I S.

TRACTATIUM JURIS

Hanc Disputationem sacram facit

CORN. RUYL, Auct.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

DE

TUTELIS.

THESIS I.



Uplex hominum status considerari potest, naturalis, quatenus à natura, & legalis quatenus à lege deducitur: naturalis est in triplici differentia, vel ratione sexus homines dividuntur in masculos & foeminas, vel ratione nativitatis in natos & nascituros; vel ratione ætatis, in majores & minores. Status legalis itidem triplex, & consistit in libertate, quæ est summa hominum divisio *pr. inst. de jur. pers.* quod omnes homines aut liberi sunt aut servi: vel civitate & sunt cives vel peregrini, vel familia & sunt patres vel filii *fam. l. 195. §. 2. ff. de verb. sign. patresfam. familiæ principes l. 196. ff. eod. tit.* sunt itaque filii *fam.* qui potestati patris subsunt patres *fam.* sunt sui juris nec alterius potestati subjecti, omniaque sibi non alteri acquirunt; qui vel sub tutela, vel cura vel neutro jure tenentur *pr. inst. de tut.* neutro jure tenentur majores mentis compotes, & quibus bonorum administratio non est interdicta. Minores vel sunt in tutela vel cura; si masculi 14 fæminæ 12 annum non superarunt, alterius tutela reguntur, cum seipso defendere nequeant, nec perfectæ ætatis sint, quod naturali juri conveniens esse docet *imp. Justinianus §. 6. inst. de Attil. tut.*

II.

Antequam hanc materiam de tutelis aggrediamur; prius excutiemus quæstionem quam vulgo movent DD. an tutela sit juris naturalis an civilis? & cum plerisque statuimus, quoad originem juris naturalis

turalis quoad formam juris civilis esse, ex hac ratione, quatenus apud omnes fere gentes in usum fuit, natura enim præcipit patrem prospicere debere filiis suis impuberibus: formam vero accepit ex legis 12. tabb. Verbis l. 120. ff. de verb. sign. quibus cautum, ut pater liberis suis impuberibus in potestate constitutis testamento legitime facto, tutores dare posset §. 3. inst. de tut. & si nullum constituisset lex vocabat agnatos l. 5. pr. ff. de leg. int. pr. inst. eod. His deficientibus potestas hæc magistratui data, cui hoc speciali lege concessum pr. inst. de Attil. tut. ut meliorem hujus tutelæ notitiam percipere possemus, non inconcinne fore arbitror prius ejus definitionem excutere omnis enim, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputetur teste Cic. lib. 1. pr. de offic.

I I I.

Tutela, ut Servius definit, est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se ipsum defendere nequit jure civili data ac permessa, secundum *Titium Paulum* in l. 1. pr. ff. h. t. §. 1. inst. eod. quibusdam videtur pro vis, legendum esse jus, quod vocabulum jus, tutelæ naturam magis exprimit, ut *Theophilus* definit, quod sit jus ac potestas &c. nos vero recte per verbum vis definiri statuimus: quod in omnibus constanter exemplaribus per vim definiri placet, ut & *imp. noster Justinianus* idem fecit §. 1. inst. h. t. in continenti subjungens, tutores autem sunt qui eam vim ac potestatem habent §. 2. inst. eod. (per vim) intelligitur auctoritas tot. tit. inst. de auct. tut. non vis violenta vel atrox uti habet l. 1. ff. quod. met. caus. sed modica coercitio in mores pupillorum, cum patris officio fungi debeant; sic tutores quasi tutores §. 2. inst. h. t. quod pupillus ab eo tueri ac defendi debet, nam præcipuum ejus officium ne pupillum indefensum relinquat l. 30. ff. de adm. & peric. tit. quapropter & defensor vocatur l. 2. C. quand. mul. tut. off. sun. pot. l. un. C. ubi per. tut. (potestas) est quidem potestatis species sed non pertinet ad caput ejus, qui est in tutela, uti dominica vel patria potestas (1) quia pupillus omnia sibi non alteri acquirit (2) non est in familia tutoris, sed sui juris. (3) Tutela introducta in favorem pupilli non tutoris (In capite libero) hæc est vetus locutio pro in caput liberum, id est hominem liberum, nam caput liberum pro homine libero veteres dicebant *Mynsing.* in Schol.

I N A U G U R A L I S.

ad. §. 1. *inst. h. t.* hinc caput liberum facere pro manumittere apud *Plant.* in *Mercat.* quidam hæc verba ad pupillum plerumque referunt, qui debet esse liber; filiusfam. enim regulariter tutorem habere nequit, quod sui juris debet esse pupillus, sed filiusfam. in potestate patris est constitutus. *pr. inst. de pat. pot.* si pater sit mente captus, vel apud hostes defineatur, non tutor sed curator substantiæ debet dari *l. 6. fin. ff. h. t. l. 3. C. de curat. furios.* si deportatus sit filio datur tutor quod pater per deportationem amisit ea, quæ sunt juris civilis, qualis est patria potestas §. 2. *inst. de patr. pot.* & sui juris factus est filius *l. ult. §. 2. C. de sent. pass.* neque servus tutor dari potest, nisi habeat spem libertatis *l. 13. §. 1. ff. de tut. dat. ab his* quidam hæc verba (*in capite libero*) non male etiam referunt ad tutorem, servus enim non potest esse tutor, quamdiu sit in servitute, cum, ignorante domino, obligari nequeat *l. 21. §. 1. ff. de pact. l. 14. ff. de Obl. & Act. §. 3. inst. per quas pers. cuiq. acq. finita tutela* oritur actio in iudicio instituenda *tut. tit. ff. de tut. & rat. dist.* servus vero non habet personam standi in iudicio *l. 107. ff. de Reg. Jur. excepta l. 12. §. 3. ff. de accus.* cæterum est juris civilis & civium romanorum propria, §. 1. *inst. h. t.* cujus communionem servus non habet *l. 32. ff. de Reg. Jur. (Ad tuendum eum)* est finis tutelæ & denotat officium tutoris, in his præcipuè consistens in persona pupilli tuenda, in administratione rerum, & in auctoritate præstanda; unde fluit quoque differentia inter tutorem & curatorem, datur tutor principaliter personæ, minus principaliter rebus §. 4. *inst. qui. test. tut. dat. l. 14. ff. de test. tut.* utpote pupillus tueri non potest, nisi ejus bona curantur, quæ sunt accessio personæ; datur vero curator principaliter rebus §. 2. *inst. de Curat.*

I V.

(*Jure Civili data ac permiffa*) hæc verba non præcise requiruntur ad tutelæ definitionem, sed denotant tutelam quoad formam ut in thesi secunda manifeste probavimus, juris civilis esse: distinguunt quoque tutelarum genera alia enim est testamentaria, alia legitima, alia dativa. Permittit itaque *lex 12. tabb.* testatori filiis suis impuberibus in potestate constitutis testamento legitime facto dare tutores *l. 1. pr. ff. de test. tut. §. 3. Inst. eod.* vel codicillis testamento confirmatis *l. 3. ff. eod.* non vero aliis quibusdam modis, uti per epistolam *l. 1. §. 1. l. 2. C. de conf. tut.*

6 DISPUTATIO JURIDICA

si tamen de facto dederit confirmari solet *d. l. 1.* quod infra perspicue apparebit, cum de confirmando tutore tractaturi simus. *Dr. testamentaria*, quod ex sola testatoris voluntate vires accipit, quæ servanda *l. 89. ff. de R. J. l. 11. ff. de test. tut.* & reliquis præfertur, provisio enim hominis cessare facit provisionem legis *l. ult. C. de pact. Nov. 118. C. 5.* nihil interest heredes institueritne an ex heredaverit, *l. 4. ff. de test. tut.* mater vero tenetur instituere heredes *d. l. 4.* & inquiri oportet in eum, qui matris testamento datus est, cum à patre datus, quamvis minus jure datus sit, tamen sine inquisitione confirmatur, nisi si causa, propter quam datus videbatur, in eo mutata sit, veluti si ex amico inimicus, vel ex divite pauperior effectus sit. *d. l. 4. ff. eod.*

V.

Deficiente testamentaria legitimæ tutelæ locus est fuitque olim quadruplex. (1.) *Agnatorum*; hæc vocatur legitima, quod sine ullo hominis facto proximos agnatos ad suscipiendam tutelam vocabat, *lex 12. tabb. l. 1. pr. ff. de leg. tut. pr. Inst. eod.* sunt autem *agnati* qui per virili sexus personas cognatione nobis juncti sunt *l. 7. ff. b. e. §. 1. Inst. eod.* hoc summa providentia ita statutum tradit *Ulpianus l. 1. pr. ff. eod.* ut qui sperarent successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur. Excluduntur igitur cognati, qui per fæminini sexus personas nobis juncti, ex ratione prædicta. *Agnationis & cognationis* differentiâ hodie sublata per *Nov. 118. Cap. 4. & 5.* omnibus indistincte tam *agnatis*, quam *cognatis* defertur tutela. (2.) *Patronorum eorumque liberorum* qui non ex lege, sed ex interpretatione, & mente legis legitimi sunt suorum libertorum tutores, nam *plerumque* ubi successionis est emolumentum, ubi & onus tutelæ esse debet. *Plerumque* vocabulum ideo adjectum vult *Imperator* ad differentiam personarum, nam si fæmina impuberem manumittat, vocatur ad hereditatem, non vero ad tutelam *tot. tit. Inst. de leg. patron. tut.* quia verile officium, à quo mulieres excluduntur *l. 16. ff. de tut. præter matrem & aviam*, quæ ante agnatos admittuntur volentes *amb. mat. & avia C. quando mul. tut. off.* si plures manumiserunt, omnes constituuntur tutores *l. 3. §. 4. ff. de leg. tut.* uno ex patronis defuncto, filius ejus non succedet, sed tutela apud cæteros remanebit, *l. 3. §. 5. ff. eod.* sed si omnes decesserunt, tutela ad liberos eorum incipit pertinere *d. l. 3. §. 6.* (3.) *Parentum*,
ad

ad exemplum Patronorum, nam si parentes liberos vel nepotes emancipassent, legitimam eorum (quasi contracta fiducia) nanciscebantur tutelam *rot. tit. Inst. de leg. par. tur.* (4.) *Fiduciaria*, quæ *legitima* vocatur quatenus nec testamento, nec à magistratu, sed ipso jure tutores constituantur *l. 4. C. de leg. tut.* revera *legitima* non est, cum non vocantur à *lege*, sed ob similitudinem *legitima*, vocatur *legitima* quia *lex* magnam de fratre spem atque *fiduciam* conceperat. Sunt igitur *fiduciarii tutores* parentes suorum liberorum ab avo intra pubertatem emancipatorum, ut & fratres, quibus post mortem parentis, singulari fide defertur administratio suorum fratrum ac sororum, reliquorumque omnium, intra legitimam ætatem à parente emancipatorum, quorum legitimus tutor pater fuerat *l. 3. in fin. l. 4. ff. de leg. tut. pr. inst. h. t.* sed quoniam vix ullus harum tutelarum hodie usus, cum à magistratu pupillari plerique tutores, deficientibus testamentariis, constitui soleant. *Grot. Intrad. l. 1. par. 7. Nun. 7. Vinn. in comment. ad §. uli inst. h. t.* hæc breviter explanasse sufficiat.

V I.

Quod si cui nullus omnino tutor esset, neque testamentarius, neque legitimus, ei in urbe ex *lege Attilia*, in provinciis vero ex *lege Julia* & *Titia* dabatur tutor *pr. inst. de Attil. tut.* quæ est tertia tutelarum species: vocatur *dativa*, quod à Magistratu, cui hoc speciali lege, SCTo, vel à Principe erat concessum, & cujus jurisdictioni pupillus, vel ratione domicilii *l. 3. C. de municip.* vel ratione bonorum *l. un. C. ubi per. tut.* subjectus erat, dabatur: quapropter nec imperii, nec jurisdictionis esse dicitur *l. 6. §. 2. ff. de tut.* jure enim magistratus non competit neque potest mandari *l. 1. pr. ff. de eo cui mand.* ita ut nec mandante præside alius tutorem dare posset *l. 8. pr. ff. de tut. dat. ab his.* speciali enim lege patri concessum, dare tutorem filiis suis impuberibus. Postea *lege Attilia* hæc potestas est translata in prætorem urbanum, cum majoris partis tribunorum plebis consensu, & in provinciis in provinciarum præsidem ut ex *pr. inst. h. t.* apparet. Postea Consules ex inquisitione Tutores dare cæperunt. *§. 3. inst. eod.* Deinde ex constitutione *Divi Marci* legati proconsulum dare poterant, *l. 15. ff. de offic. procons.* non vi jurisdictionis, sed specialis legis delatione *l. 1. §. 1. ff. de tut. dat. ab his.* & denique hæc potestas successit in omnes magistratus

8 DISPUTATIO JURIDICA

stratus municipales *l. 3. ff. de tut. dat. ab his.* Justinianus vero has mutavit constitutiones, tradiditque tutores dandi facultatem defensoribus civitatum, si pupilli facultates valeant, usque ad 500. solidos, una cum ejusdem civitatis religiosissimo Antistite, ut videre est. §. 5. *inst. de Att. tut.*

VII.

His præmissis, videamus, quando locum habeat tutorem dandi potestas; & non modo tutores dantur, si nullus existit testamentarius vel legitimus, sed si ex die vel sub conditione datus est, *l. 11. ff. de test. tut. §. 1. inst. de Att. tut.* item si excusat se tutor, vel ut suspectus removetur. *d. l. 11. l. 4. C. in quib. caus. tut.* in locum defuncti alium substitui posse tutorem explorati juris est *d. l. 11. §. 4. & l. 4. C. in quib. caus. tut.* si omnes decesserunt ad legitimos tutela redit, in locum absentis reipublicæ causa alium à magistratu constitui posse non ambigitur, quo reverso, datus iudicio tutelæ tenetur. *l. 9. pr. ff. de tut. & rat.* si non, datus tutelam retinet, nec legitimi succedunt, ut ex *l. 12. ff. de tut.* constat. Item si captus ab hostibus tutor §. 2. *inst. de Att. tut.* aut in perpetuum relegatus *l. 4. C. in quib. caus. tut.* aut missus ad hostes quasi legatus, aut receptus ab eis, aut transfugerit, non ut patriæ proditor, sed ut explorator hostium *l. 15. ff. de tut.* alius à competente iudice est petendus *l. 3. C. qui per. tut.* item si nullus heres existit §. 1. *inst. de Att. tut.* item si furiosus vel minor tutor testamento datus est, alius à magistratu in ejus locum constitui debere nequam ambigendum puto *l. 10. §. 7. ff. de excus. tut.* si ante aditam hereditatem tutor testamento datus decesserit, legitimis esse locum non dubito *l. 6. ff. de leg. tut. l. 11. §. 3. ff. de test. tut.* nec non si ad certum tempus vel conditionem testamento constituti sunt, ad legitimos, finito tempore vel existente conditione, tutela devolvitur.

VIII.

Videamus hic, quinam teneantur petere tutores & (1.) tenetur mater *l. 2. §. 1. ff. qui per. tut. l. 8. C. eod.* si non petiit, vel puritatis gratia eum petiit, qui dimitti poterat, deinde dimisso eo vel abjecto, alium non petiit rursus, vel ex studio malos petiit, expellitur à legitima

ima filii hereditate, quasi existens indigna accipere hereditatem legitimam, negligens ei constitui tutorem, ut ex *Epistola Divi Severi* manifeste probatur, cujus verba in *d. l. 2. §. 2.* habentur. Si plures sunt dati tutores idonei, ac mater, uno eorum mortuo in locum defuncti alium non petiit, incidit quidem in verba constitutionis, sed sententia excusatur, quod numerus reliquorum administrationi tutelæ sufficiebat *l. 4. §. 1. ff. qui pet. tut.* sed si, suspecto tutore accusato, decretum erit ei adjungi alios, mater eos quoque petere debet, & si non petiit, incidit in sententiam constitutionis (2) Liberti tutores petere tenentur, & si appareat, propter negligentiam vel malitiam non petiisse, apud præsidem puniuntur, *d. l. 2. §. 1. & l. 2. C. eod.* possunt, non tamen tenentur petere cognati & qui secundum affinitatem sunt familiares parentum, utriusque sexus, item amita *l. 5. C. qui pet. tut.* possunt & amici & educatores puerorum, & vicini proximi petere eo loco, quo pupilli originem per conditionem patris ducunt vel ubi eorum sunt facultates *l. un. C. ubi pet. tut.* si nihil possident, ubi morantur, neque inde originem ducunt, restituti apud patriam suam ibi defensore legitimos sortientur *d. l. un. C. eod.*

I X.

Ves jam personis constituendi tutores facultatem habentibus, nostri conatus erit hic exponere personas ad suscipiendam tutelam idoneas & non modo tutor dari potest paterfam: sed & filiusfam. *pr. Inst. qui test. tut.* item servus proprius, etiam si libertatis mentionem non fecerit, quam consequitur directam *l. 32. in fin. ff. de test. tut.* si non per errorem, quasi liber sit datus *§. 1. Inst. qui test. tut. l. 22. ff. de test. tut.* servus vero alienus inutiliter pure datur tutor *d. §. 1.* videtur tamen & extraneo servo fideicommissariam libertatem ex hac causa defendi posse, si voluntas testatoris apertissime non refragatur, uti docet *Ulpianus l. 10. in fin. ff. de test. tut.* item furiosus mente captus & minor *§. 2. Inst. eod.* hac scilicet limitatione, cum compos mentis vel major factus fuerit *l. 11. ff. de tut. ut & infamis l. 1. §. 6. ff. de post. l. 8. §. 1. & §. ff. de excus.* Hæc prædicta obtinent in testatoris dispositione, non vero in datione magistratus *l. 6 §. 1. ff. de tut. l. 7. C. qui dare tut.* tutela enim dativa est actus legitimus, qui diem nec conditionem recipit *l. 77. ff. de verb. sign. potest etiam tutor dari tam magistratus, quam subditus l. 10. §. 1. ff. de test. tut. qui ab eodem*

eodem municipio vel agro ejusdem municipii est l. 3. ff. de tut. dat. ab his. si vero idoneum in territorio suo invenire nequeat, officium sit magistratum inquirere ex vicinis civitatibus honestissimum quemque, & nomina præfidi provinciæ mittere l. 24. ff. de tut. dat. ab his. & denique constitui possunt omnes, cum quibus testamenti factio est l. 21. ff. de test. tut.

X.

In thesi præcedenti tractavimus personas ad tutelam gerendam idoneas, hic de iis, quæ tutores esse nequeunt (1) officio tutelæ fungi non possunt mulieres l. fin. ff. de tut. mater & avia excipiuntur l. 2. C. quando mul. tut. off. Nov. 118. Cap. 5. hæc tamen requiruntur ut fateantur actis (hoc olim jurejurando præstito factum fuisse manifestum est ex d. l. 2. hodie nuda tantum promissione Nov. 94. Cap. 2.) ad secundas nuptias non venire & renuntient. Scri. Vellejani beneficio, omnique alio legitimo auxilio d. Nov. 118. Si ad secunda vota redierit, amittit tutelam, nec, mortuo marito, eam reassumere potest (2.) Debitores & Creditores hodie suscipere non possunt onus tutelæ *auth. minoris C. qui dar. tut.* olim poterant l. 8. C. eod. (3) militiæ armatæ muneribus occupatus, etsi voluerit, tutor dari nequit l. 4. C. eod. ne omisso armorum usu, ad opus rustre se conferant, & vicinis graves præsumptione cinguli militaris existant l. 31. C. locat. (4) neque prodigus (5) neque mutus l. 10. §. ff. de leg. tut. (6) nec furdus l. 1. ff. h. minus autem audiens potest esse l. 11 ff. eod. (7) nec infans §. 13. Inst. de excus. quod eorum nullum est iudicium (8) nec luminibus captus (9) nec patrimonialis colonus, qui privilegio ab hac nuncupatione defenditur l. ult. C. qui dar. tut. (10) neque is, qui suis magis quam pupilli commodis prospiciat: tutela enim, inquit Cic. ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum, quibus commissa gerenda est. semper autem hoc observent magistratus, ne creent eos, qui se ipsos volunt ingerere, ut creentur, quique pecuniam dant, hos enim, & panæ obnoxios esse promulgatum est l. 21. §. 6. ff. de tut. dat. ab his. (11) nec magistratus se ipsos tutores creare possunt l. 4. ff. eod. (12) neque incertus l. 20. ff. de test. tut. si duo sunt ejusdem nominis, is datus intelligitur, quem testator sensit, si non appareat quem senserit, neuter erit, uti docet *J. Cris. Paulus l. 30. ff. de test. tut.* (13) non valet illa tutoris institutio, illi aut illi, filiis meis, uxori eorum voles, Titius tutor esto. l. 23. ff. eod.

X I.

Quædam hic de modo constituendi tutores differere, non abs re fore arbitror. Dari tutor potest ex certo tempore & ad certum tempus, vel sub conditione, vel usque ad conditionem, ut & ante heredis institutionem §. 3. *Inst. qui test. tut.* l. 8. §. 2. ff. *cod.* certæ rei aut causæ tutorem dari nefas est l. 12. ff. *de test. tut.* §. 4. *Inst. cod.* Excip. (1) cum admodum sit hereditas l. 10. ff. *de test. tut.* l. 9. ff. *de tut. dat.* (2) si pupilli facultates adeo dispersæ sunt, ut ab uno satagi nequeant, veluti si detur rei Africanæ vel Syriaticæ, utilis datio erit teste *Ulpiano* l. 15. ff. *de test. tut.* quo tamen casu singuli in solidum dati intelliguntur, nec tam tutela dividi, quam ejus administratio. Jure habenti tutorem tutor quoque dari nequit l. 9. *C. qui pct. tut.* l. 10. *C. qui dar tut.* §. 5. *Inst. de curat.* si sit in datione erratum, ut si detur tutor absentem habenti tutorem, datio est ipso jure nulla l. 10. ff. *de tut. dat. ab his.* Hæc quoque uti ante dixi, firma manent in testamentaria, non vero in tutela dativa, magistratus enim non debent actus suspendere suos; si tamen sic dederint *Tuius tutor erit si satis dederit*, valet, nam non videtur sub conditione, sed sub admonitione datus esse l. 6. §. 1. ff. *de tut.*

X I I.

Tutores dantur pupillis impuberibus, sui juris §. 3. *Inst. de tut.* impuberes sunt qui non exceßerunt annum 14 masculi, fæminæ 12. Liberris impuberibus in potestate constitutis testamento tutoribus datis, etiam posthumis esse datos auctor est *Ulpianus* l. 5. ff. *de test. tut.* & *Imp. Justinianus* §. 4. *Inst. de tut.* nomine filiorum comprehendi etiam filias certissimi juris est l. 1. ff. *de Verb. Sign.* l. 16. ff. *de test. tut.* quid si nepotes sint, an nomine liberorum & hi veniant? respondet *Ulpianus* datos tutores etiam illis esse, si modo liberos dixit l. 2. §. 7. ff. *de excus.* cæterum si filios, non continebuntur, aliter enim filii aliter nepotes appellantur l. 6. ff. *de test. tut.* nihil refert institueritne heredem an exheredaverit l. 4. ff. *de test. tut.* quod tamen falsum in dispositione materna, quæ tenetur filium, cui tutorem dat, instituere heredem d. l. 4. & in eum qui matris testamento datus, oportet inquiri, si a patre datus, etiamsi munus jure datus, sine inquisitione confirmatur d. l. 4. ff. *cod.*

filio vero naturali, id est ex concubina nato in utiliter tutorem dat pater, si nihil ei reliquit *l. 7. ff. de Conf. tut.* si quocunque modo aliquid ad eum pervenerit, dederitque ei tutorem pater, apud competentem judicem debet confirmari. *l. ult. C. de Conf. tut.*

XIII.

Hac occasione hic pauca de confirmando tutore subjiciemus. Si tutor datus a persona in capaci, veluti a matre patrono &c. vel non jure datus uti filio emancipato, quem pater non habet in potestate, vel codicillis testamento non confirmatis, vel per epistolam, vel datus est ei, cur dari non potest, veluti puberi, vel alio quocunque illegitimo modo datus fuerit, a consulari potestate confirmari posse, constitutiones concesserunt *l. 1. §. 1. l. 6. l. 3. ff. de conf. tut. l. 2. C. eod.* si filio naturali tutorem dederit pater, debet confirmari apud judicem competentem *l. 4. C. eod.* testatoris voluntatem sine inquisitione exequi & simpliciter confirmare tenetur index *l. 1. §. 2. ff. eod.* nisi causa propter quam datus videbatur in eo mutata sit *l. 4. ff. de test. tut.* quod judicis arbitrio committendum puto *l. 8. & 9. ff. de conf. tut.* utilitatem enim pupillorum prætor sequitur, non scripturam testamenti vel codicillorum, nam patris voluntatem prætor ita accipere debet, si non fuit ignarus scilicet eorum quæ ipsa prætor de tutore comperta habet *l. 10. ff. eod.* contrarium in matris dispositione obtinet *l. 4. ff. de test. tut.* quod propter imbecillitatem mulieres facillime decipi possunt *l. 1. §. 1. ff. ad SCtum vellej.* idem juris est in patrono & extraneo *l. 4. ff. de conf. tut.* qui tutor esse non potest, neque is potest confirmari *l. 7. ff. de conf. tut.*

XIV.

Magna hic inter DD. movetur controversia sc. an a consulari potestate confirmatus tutor sit testamentarius an dativus? ad priorem partem inclinare videntur *Pacius in Anal. §. ult. Inst. de tut. Vinn. in Comment. ad d. §.* hac ex ratione, quod legitimis præfertur, & liberatur a satisfactione *l. 3. ff. h. t.* perdit legatum sibi relictum si excusationem allegat *l. 32. ff. de excus.* deinde quia confirmatio non pendet a voluntate & sola potestate confirmantis, sed magis in necessitate juris posita est. Amplectuntur posteriorem partem *Cujac. in Parat. ad hunc tit. Treutl. Sel. Disp.*

Disp. lib. 2. disp. 8. Zoësius. Schneid. Giphon. Lanterb. Hub. Voer. multique alii deducti per l. 26. §. ult. & l. 27. ff. de test. tut. nihil tamen obstantibus his statuerem cum *Mynsing. Hunnio. & aliis* nec testamentarium, nec dativum esse sed medium inter hos obtinere locum propter l. 3. ff. de conf. tut. particula enim *perinde* non est identitatis, sed similitudinis, signum, uti *Gloss. ad d. l. 3.* bene observat. Cæterum quia absolute ex testatoris voluntate essentiam non habet, auctoritatem enim administrandi bona habere nequit, ante Magistratus decretum l. 1. & 2. ff. de conf. tut. quapropter concludimus hunc confirmatum, neque testamentarium neque dativum esse.

X V.

Anteqnam tutores bonorum pupillorum administrationem suscipere possunt, prius satisfacere tenentur, finita tutela rem pupillorum salvam fore quod omnes præstare tenentur, exceptis his, qui sunt testamento tutores dati *pr. Inst. de Satisf. tut.* cum fides eorum & diligentia a testatore est approbata *d. pr.* excipiuntur etiam illi, qui ex inquisitione dati sunt; si plures existant tutores, non tenentur satisfacere omnes, sed unus eorum satisfactionem offerre non tamen petere potest §. 1. *Inst. h. t. l. 7. ff. rem pup. sal.* cæterisque præfertur l. 4. *C. de tut. qui sat. non ded.* interest enim pupilli negotia sua per unum potius, quam per plures expediri satisfactione itidem liberatur tutor confirmatus l. 3. ff. de Conf. tut. nec non patronus ejusdemque filius si persona honesta & maxime si substantia modica sit l. 5. §. 1. ff. de tut. leg. si filius fam: creabitur tutor, deinde pater noluerit pro eo cavere, jussit leges, & ipsum patrem creari tutorem, ut nullo modo impediatur cautio tutelæ, ut ostendit *Divi Hadriani constitutio l. 15. §. fin. ff. de excusat.* Satisfacere est, datis fidejussoribus pupillo stipulanti cavere, finita tutela, rem pupilli salvam fore. *tit. ff. rem pup. sal. for.* non modo quæ in patrimonio habet, sed & ea, quæ in nominibus sunt, videntur hac stipulatione contineri l. 9. ff. eod. si pupillus absens sit, vel dari non possit servus ejus stipulabitur, si non habeat, emendus est, si bona non suppeditant, unde ematur, dicendum est servum publicum apud prætorem stipulari debere, aut dare aliquem prætor debet, cui stipulatur, *d. tit.* non quasi ipso jure pupillo acquirat, sed utilis actio ex stipulatu pupillo datur.

XVI.

Juramentum præstare tutores etiam tenentur, fideliter se & ex animo pupillorum bona gesturos, ac utiliter omnia in utilitatem pupillorum esse versuros. *auth. quod nunc C. de curat. furios.* hoc nim. leges volunt, ut tutores parentum omnino adversus pupillos animum & affectum induant; ut & repertorium conficere ante tutelæ administrationem, ob doli maculam evitandam, omnisque fraudis tollendam suspicionem *l. 7. pr. ff. de adm. & per. tut. l. 24. C. eod. tit. quod vulgo inventarium appellatur, & est. libellus bonorum omnium ac rerum pupillorum, nominumque & instrumentorum solenniter sub presentia publicarum personarum confectus.* Solo patre, ab hac inventarii confectioe liberato; *uti Vin. testatur in select. quest. lib. 2. C. 16.* est autem hoc fundamentum & caput reddendarum rationum: si conficere neglexerint ut suspecti removentur vinculisque publicis continentur humiliores; cæterum, qui sunt in aliqua dignitate positi vinculis publicis contineri non oportet *l. 3. §. 16. ff. de susp. tut. & perpetua macula infamiæ notabuntur, nec ab imperiali beneficio absolute hujus notæ fruituri. l. fin. in fin. C. arb. tut.* nisi forte aliqua necessaria vel justissima causa allegari potest, cur id factum non sit *l. 7. pr. ff. de adm. & per. tut.* nihil itaque gerere ante inventarium factum oportet, nili id, quod dilationem nec modicam expectare possit.

XVII.

In quaestione est, an testator tutori testamento posset remittere inventarium conficiendi necessitatem: quod plerique DD. facere posse contendunt per textum expressum *l. ult. §. 1. C. arbit. tut.* ne secreta patrimonii & suspectum æs alienum pandatur *l. 2. C. de alim. pup. præst.* non tamen semper voluntas testatoris, aut jussum conservari debet, nam si iudex pupillo secus expediri intelligat, potest eum ad inventarii confectioem adigere *l. 7. ff. de ann. leg.* tutorem testator tantum liberasse intelligitur a solennis inventarii confectioe quæ coram magistratibus & publicis personis solet fieri, non vero a confectioe privata, quæ præsentibus amicis vel cognatis conficitur, est enim fundamentum & caput reddendarum rationum, quas non potest absque inventario reddere, quod non

non possunt pupilli bona constare, hanc vero reddendi rationes necessitatem remittere nequit, quod contra jus commune occasionem delinquendi, & in pupillorum bona grassandi præberet testator contra. *l. 27. §. illud. & §. pacta ff. de pact.*

XVIII.

Officium tutoris in his præcipue constare non ambigitur (primo) in persona pupilli tuenda, ad est in præstandis ei omnibus, quæ competunt ipsi secundum dignitatem mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, sed pro modo facultatum & patrimonii quantitate constituet, alimenta servis libertisque præstabit, solennia munera parentibus cognatisque mittet *l. 12. §. 3. & l. 13. ff. de administ. tut.* jus alimentorum pupillis decernendorum. (1) Competit patri. *l. 2. §. 3. ff. ubi pup. educ. det.* & ea præstando tutor reputare poterit, nisi ultra vires facultatum statuerit, cum prætorem adire debuerit, & ut diminuantur alimenta, petere (2) Prætori, qui debet patrimonii modum spectare, & tam moderate decernere, ut non totum redditum patrimonii decernat, sed semper ut aliquid ex redditu supersit *l. 3. pr. & §. 1. ff. ubi pup. educ. det.* in decernendo debet æstimare mancipia, quæ pupillis deserviunt, & mercedes pupillorum, & vestem & lectum pupilli & ætatem cõtemplari tenetur *d. l. 3. §. 2.* & quæ studiis impenduntur, cæteraque, quæ probam pupillorum educationem spectant; sed non semper omnium alimentorum, quæ prætor decrevit, habetur ratio, ut si tutor prætori non suggesserit de statu facultatum & ultra vires sint decreta, diminui debent quæ decreta sunt, quemadmodum solent augeri, si quid patrimonio accesserit *l. 2. & 3. ff. eod. tit.* (3) ipsi tutori pro modo facultatum, nec permittendum tutori tantum reputare, quantum dedit, si plus æquo dedit, quod arbitrio judicis committendum *d. l. 2. ff. eod. & l. 2. C. de alim. pup. pres.* si egeni sunt pupilli tutor non tenetur de suo alere *d. l. 2. §. 6.* cæterum si vir bonis aluit pupillos, accepto ferre debebunt ea, quæ merito arbitratur, ad exhibitionem educationis, ministeria, studiaque erogata esse, nec ferendus est juvenis qui cum præsens esset, studiisque eruditus atque alitus, cum ea per alium se consecuturum non probet, sumptus recuset,

XIX.

(Secundo) in administratione rerum, de qua plenius sub thesi penultima: (3) in auctoritate præstanda, & nihil aliud est, quam probare id quod cum pupullo agitur *l. 3. ff. de auct. & conf. tut.* non potest itaque obligare se sine tutoris auctoritate *l. 5. ff. eod.* nec adire hereditatem, licet lucrosam *l. 9. §. 3. ff. eod.* nec hereditatem ex Scto Trebelliano recipere, nec bonorum possessionem, expediendarum rerum gratia petere *l. 11. ff. eod.* attamen alium sine tutoris auctoritate sibi obligare potest *pr. inst. b. t.* tutor in rem suam auctor fieri nequit *l. 1. & 7. ff. eod.* sed curator in ejus locum datur, quo interveniente, judicium peragitur *§. ult. inst. eod.* si plures sunt tutores, unius auctoritas sufficit *l. 4. ff. b. t.* nisi finiatur tutela *l. ult. C. eod.* in ipso debet negotio auctoritatem interponere *l. 9. §. 5. ff. eod.* si nolit, non debet eum cogere prætor *l. 17. ff. eod.*

XX.

Onus tutelæ cum sit munus publicum, tenentur suscipere omnes; nisi justam remissionis causam nominaverint. Justæ autem excusandi causæ hæc sunt. (1) Liberos multitudo *l. 2. §. 2. ff. de excus. l. un. C. eod.* ut si quis tres liberos superstites habeat Romæ, quatuor in Italia, in Provinciis quinque *pr. inst. eod.* qui antea decesserunt non profunt, neque nocent, qui postea moriuntur *d. l. 2. §. 4. ff. eod.* qui in acie deciderunt tamen profunt *l. 18. ff. eod.* Hi enim, qui pro republica deciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. *d. pr. inst. eod.* qui in ventre est, in hac quæstione nequit prodesse, attamen profunt nepotes ex filiis masculis nati, patre eorum mortuo (2) Septuagenaria ætas tempore illo, quo creantur *d. l. 2. pr. §. 13. inst. & l. un. C. eod.* minores excusatione non indigent *l. 10. §. 7. ff. de excus.* uti nec milites *§. 14. inst. eod.* (3) Tria tutelarum onera excusationem dant *l. 3. ff. b. t.* una in domo esse sufficit *l. 5. ff. b. t. §. 5. inst. eod.* emancipati filii tutelam si pater administrat, inter tutelarum onera numerari oportere scribit *Ulpianus libro singulari de excusationibus l. 15. §. 16. ff. b. t.* denumeratio hæc non debet fieri à pupillorum numero, sed à patrimoniorum separatione *l. 3. ff. b. t.* una aliquando sufficit tutela, ut si tam diffusa & negotiosa sit ut pro pluribus cedat. (4) Mi-

(4) Milites qui honeste impleverunt militiæ tempus, hoc onere liberantur adversus privatos, adversus filios eorum, qui olim milites fuere intra annum dimissionis remissionem habent *l. 8. ff. h. t. ignominiose dimissi non gaudent hoc privilegio.* (5) Qui literas nesciunt, id est, qui nec legere nec scribere didicere *l. 6. §. fin. ff. h. t. §. 8. inst. eod.* quamvis studiis non sint imbuti si modo negotiorum non sint expertes, eorum excusatio non debet admitti. (6) Paupertas *l. 7. l. 40. §. 1. ff. h. t. §. 6. inst. eod.* (7) Administratio rerum fiscalium vel principis; liberantur itidem hi, quibus princeps curam alicujus rei injunxit *l. 23. §. 1. ff. h. t.* ut & tributorum exactores *l. 10. C. eod.* non vero prædiorum conductores ad fiscum pertinentium *l. 8. C. eod.* (8) Rhetores, Grammatici, Sophistæ, Medici, Philosophi, qui intra numerum & in patria docent, remissionem habent, item si Romæ artem exercent, quæ & habetur & est communis patria *l. 6. §. 1. §. 5. & 11. ff. h. t. l. 33. ff. ad Munic.* legum vero doctores, in aliquo præsidatu docentes remissionem non habent, Romæ autem docentes à tutela remittuntur *d. l. 6. §. 12. ff. eod.* legum professores, una cum uxoribus & liberis, ab omnibus muneribus vel civilibus vel publicis immunes esse præcepit *Imp. Constantinus l. 6. C. de profess. & med.* (9) Qui reipublicæ causa absunt, quamdiu absunt, à tutela excusantur, anni autem vacationem habent post reversionem *l. 10. ff. h. t. l. 2. C. eod.* sed si ante absentiam tutores fuerint eorum loco curator datur, hi enim reversi tutelam recipiunt *§. 2. inst. h. t.* (10) Adversa valetudo, quæ impedimento est, quo minus quis rebus suis superesse possit *l. 10. in fin. l. 45. §. fin. ff. h. t. l. un. C. h. t. §. 7. inst. eod.* (11) Remittuntur magistratus civitatum *l. 6. §. 16. ff. h. t.* & qui habent potestatem aliquam *§. 3. inst. eod.* qui ædilitate fungitur non liberatur *l. 17. §. 4. ff. eod.* cæterum eos, qui jam se miscuerint administrationi, ne tempore quidem magistratus vacare notum *d. l. 17. §. 5. ff. eod.* (12) Qui domicilium alio transtulerunt ex rescripto Imperatoris scientis, illos esse datos tutores *l. 12. §. 1. ff. h. t.* (13) Inimicitia capitales immunitatem præbent, si reconciliatio non intervenerit *l. 6. §. 17. ff. h. t. §. 11. inst. eod.* (14) Propter litem quam quis cum pupillo habet, de omnibus bonis, vel maxima eorum parte, a tutela se excusare potest, *l. 21. pr. ff. h. t. §. 4. inst. eod.* (15) Absolvitur, cum quis de statu pupillo quæstionem movet *l. 6. §. 18. ff. h. t.* & qui status controversiam à pupillorum patre passus est *§. 12. inst. eod.*

C

(16.) In

(16) in consilium principis assumpti excusantur *l. 30. pr. ff. b. t.* (17) Qui in corporibus vel collegiis sunt immunitatem habent, non omnia tamen collegia, sed illa quibus hoc privilegium est indultum, liberantur. *l. 17. §. 2. & 3. ff. b. t.* (18) Ingenuus libertino tutor datus ex *Oratione Divi Marci* excusari debebat *l. 44. ff. b. t.* sublatis ingenuorum & libertinorum differentiis *Nov. 78.* salvo jure patronatus, hodie excusatio hæc non admittitur. (19) Sed & hoc genus excusationis est, si quis ibi domicilium non habere se dicit, ubi ad tutelam datus est *l. fin. ff. b. t.* qui non juste dati, si neque confirmantur, neque se immiscuerint, sunt immunes *l. 13. §. 12. ff. b. t.* qui patri promisit, se tutorem fore liberorum, non potest ab hac tutela excusari, etsi aliter habet jus excusationis *l. 15. §. 1. ff. b. t.* qui accepit immunitatem civilium vel publicorum munerum hic à tutela non excusatur *d. l. 15. §. 12. ff. cod.*

XXI.

Intra præfinitum tempus tutores excusationem opponere debent, & non minus ipsis concedi solet quam spatium 50. dierum a tempore cognitionis numerandum *l. 13. §. 9. ff. de excusat.* qui tamen ultra centum miliaria a civitate absunt, his in unamquemque diem 20 miliaria concedi debent, & extra hos, alios 30 Dies, ita tamen ut non minus spatio 50 dierum habeant *d. l. 13. ff. b. t.* spatium hoc pertinet modo ad contestandas excusationum causas, peragendo enim negotio ex die nominationis, quatuor menses continui sunt constituti *l. 38. ff. b. t.* non sufficit si ad judicem accedat, sed omnia nomina, quæ ad remissionem faciunt, ante tribunal nominare tenetur: ignoscendum iis tamen, si non poterint propter ægritudinem, vel aliam necessitatem statuto loco venire *l. 13. §. 7. ff. b. t.* contestatio ad submovendam præscriptionem horum quinquaginta dierum per libellum expediri potest *l. 13. §. 10. ff. b. t.* non per libellos excusare se *l. 25. ff. cod.* si plures habeat excusationes, ac de quibusdam non probaverit, aliis intra tempora uti non prohibetur *l. 21. §. 1. ff. b. t.* falsis allegationibus si excusationem meruerit, apparueritque post tempus, non liberatur hoc onere tutelæ, sed à tempore dationis omne ad eum pertinebit periculum *l. 1. C. si tut. fals. all. §. fin. inst. de excus.*

XXII.

Tutores perfidi, dum sæpe pupillorum bona spoliant & in eorum grassantur patrimonium, suspecti remotio descendit ex lege 12. tabb. jus removendi suspectos tutores Romæ datum Prætoribus, in provinciis earum præsidibus, ut & legato proconsulis, & ei, cui à prætore mandata est jurisdictio l. 1. §. 3. & 4 ff. de susp. tut. possunt suspecti fieri omnes, sive sint testamentarii, sive legitimi, sive dativi; item patronus, dummodo meminerimus, famæ patroni esse parcendum l. 1. §. 5. ff. h. t. §. 2. inst. eod. liberum est omnibus, suspectos postulare tutores, quinimo mulieribus, quæ pietatis necessitudine ductæ ad hoc procedunt; est enim quasi publica accusatio. Impuberibus suspectos facere non permittitur l. 7. ff. h. t. §. 4. inst. eod. tutor quoque contutorem suspectum facere potest; ut & tutor suspectus remotus contutores suos l. 3. pr. ff. h. t. suspecti tutoris accusatio hæc ante tribunal tantum examinari potest l. 1. §. 11. ff. ad SCrum Turpil. suspectus fit tutor, si ad alimenta pupillo præstanda copiam sui non faciat, & qui in mendacio revincatur, propter inopiam nihil decerni posse contendens, hic remittendus ad præfectum urbis, puniendusque est ea pæna, qua solent affici, qui tutelam corruptis ministeriis Prætoris redemerunt l. 3. §. 14. & 15. ff. h. t. & pupillus in ejus possessionem mittendus est §. 9. inst. h. t. suspectus postulari potest, qui dolo pupillum hereditate abstinuit, uti ob non confectum inventarium l. 7. pr. ff. de adm. & peric. tut. item qui fraude satis non dedit, cum infamia, si inopia sine nota l. 2. C. de tut. qui sat. non ded. tutor ob dolum vel culpam latam remotus fit infamis l. 7. §. 1. ff. l. 9. C. h. t. §. 6. inst. eod. sed ob culpam levem, id est rusticitatem vel inertiam, in ea causa est, ut integra existimatione tutela abeat l. 3. §. 18. ff. h. t. si quis ob fraudem non remotus, sed alius ei adjunctus est tutor, non erit famosus. Suspectus fieri potest, qui satisdedit, vel satisdare paratus est l. 5. ff. h. t. removendi causa decreto exprimi debet, ut appareat de ejus existimatione, cæterum non infamatur l. 4. §. 1. & 2. ff. h. t. pendente causa cognitionis administratio ei interdicitur §. 7. inst. h. t. ac alius in ejus locum in administratione est ordinandus. l. 7. C. eod. tit.

XXIII.

Ante finitam tutelam, quia nulla competit actio, hic prius, quibus modis finiatur tutela, expediemus. (1.) Finitur pubertate *l. 4. ff. de tut. & rat. distr.* olim ex habitu corporum æstimatum fuisse auctor est *Imp. Justinianus pr. inst. quib. mod. tut. fin.* sed hoc impudicum esse statuens, constitutione sua promulgavit, ut ex annorum numero æstimaretur nim. 14. in masculis in fæminis 12. *d. pr. inst. h. t.* (2.) Si arrogati vel deportati sunt impuberes *l. 13. ff. de tut.* (3.) Si in servitutum redigitur pupillus §. 1. *inst. quib. mod. tut.* (4.) Si ab hostibus captus est pupillus vel tutor *d. §. 1.* (5.) Morte alterutrius *l. 4. ff. de tut. & rat. distr. §. 3. inst. h. t.* (6.) Maxima & media capitis deminutione tutoris, minima capitis deminutione perit legitima tantum §. 4. *inst. h. t.* quod per *Nov. 118. Cap. 5.* correctum ante monuimus. (7.) Finito tempore ad quod quis datus fuerit. (8.) Existente conditione, si ad quam tutor datus sit *l. 13. ff. de tut.* (9.) Si suspectus quis fuerit remotus. (10.) Qui ex justa causa excusati sunt §. *ult. inst. h. t.* possunt suscipere iudicium tutelæ fidejussores, si tutor ab hostibus captus sit *l. 7. §. 1. ff. de tut. & rat. distr.* item si reipublicæ causa absit. *l. 9. ff. cod.*

XXIV.

Finita denuo tutela, multa pupillis sunt data remedia, ut optime suum consequi posset. (1.) Tacitam in omnia tutorum bona hypothecam habet *l. 19. §. 1. ff. de bon. auct. jud. poss.* (2.) Actionem decretam, quæ est personalis §. 2. *inst. de obl. que q. ex contr. bonæ fidei §. 28. inst. de act. perpetua l. 1. §. 1. ff. de tut. & rat. distr.* quæ datur pupillo ejusque heredi *l. 1. §. 17. ff. de tut. & rat. distr. l. 2. C. arb. tut. adversus tutorem, ejusque heredem l. 1. §. 17. ff. de tut. & rat. distr. l. 10. C. arb. tut. ex dolo quoque defuncti l. 12. & 49. ff. de Obl. & Act. non ex levi culpa l. 1. C. arb. tut. ad id, ut reddat suæ administrationis rationem & restituat quod dolo lata, vel levi ejus culpa ex patrimonio abest *l. 7. C. arb. tut. l. 21. C. de administ. tut. ad usuras post moram tenetur l. 32. §. 2. ff. de usur. l. 10. ff. rem pup. sal. fore.* item si in usus suos convertit *l. 1. C. de usur. pup.* vel otiosam apud se detinuit pecuniam
non*

non exiguntur usuræ, si neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem prædiorum convertere potuit *l. 3. C. de usur. pup.* si plures sunt tutores, prætor curabit, ut per unum administretur, ne per plures tutela spargatur *l. 3. §. 6. ff. de adm. tut.* alii sunt hi quos vulgo *honorarios* appellamus *l. 3. §. 2. ff. eod.* ad quos periculum quoque redundat, excussis prius facultatibusejus; qui gessit. Si plures administrationem deseruerint & solvendo sunt, tenentur omnes in solidum si quidam non sunt solvendo, ceteri onerantur *l. 38. pr. & §. 1. ff. de adm. tut.* si omnes pro indiviso administrarunt, pupillus, unum ex his in solidum convenire potest, ita tamen, ut actiones, quas adversus cæteros habet, ad electum transferat *l. 2. C. de div. tut.* si tutela à testatore vel magistratu divisa sit, quisque pro parte sibi addicta tenetur *d. l. 2. C. de div. tut. l. 3. §. fin. l. 4. ff. de adm. tut.* nisi per dolum aut culpam suspectum non fecerint; si inter se dividerint unum in solidum convenire non prohibetur adolescens. *d. l. 2. C. de div. tut.* (3.) Actionem de rationibus distrahendis, quæ est personalis mixta *l. 2. §. 2. ff. de tut. & rat. distr.* quæ datur pupillo ejusque heredi *l. 1. §. 23. ff. eod.* adversus tutorem, non vero heredem ad duplum ejus rei, quam ex pupillorum bonis abstulit. (4.) Actionem ex stipulatu utilem adversus fidejussores *l. 6. ff. de fidejuss. tut. l. 4. ff. rem pup. sal. fore.* & eligere potest, utrum tutorem, vel heredem, vel fidejussorem velit convenire *l. 1. C. de fidejuss. tut.* hodie vero ante principalem ejusque heredem excussum nequit conveniri fidejussor *Nov. 4. Cap. 1.* (5.) Subsidiariam in magistratus actionem *l. 1. §. 4. ff. de magistr. conv.* item adversus eum, qui electus est ad æstimandas tutorum satisfactionses *d. l. 1. §. 8. ff. eod.* adversus omnes in solidum, siue dederint, siue non, excussis prius facultatibus ejus, qui dedit *d. l. 1. §. 9. ff. eod.* tempore dationis tutorem idoneum fuisse sufficit *d. l. 1. §. 11. ff. eod.* hæc magistratibus non vero pupillis incumbit probatio *d. l. 1. §. 12.* si sit filiusfam., peculio tenus tenetur pater. *d. l. 1. §. 17. ff. eod. tit.*

X X V.

Ne tutori officium suum esset damnosum *l. 61. §. 5. ff. de furt.* introducta est actio tutelæ contraria, quæ est personalis, bonæ fidei, perpetua, quæ datur tutori, ejusque heredi, adversus tutorem, ejusque heredem *l. 3. §. fin. l. 5. ff. de contr. tut. act.* ad id, ut restituantur impen-

ſæ, bona fide in administratione factæ, tam ante, quam poſt tutelam, ſi negotiis tutelæ tempore geſtis, nexum probatur *l. 3. §. 8. ff. h. t.* ut tutor præſtetur indemnis *l. 1. §. 3. l. 3. §. 8. l. ſin. ff. h. t. l. 33. in ſin. ff. de adm. tut. an utiliter factæ judex cognoſcet l. 3. pr. ff. h. t. ratione intentionis non vero eventus l. 3. §. 7. ff. h. t. cum uſuris, ſi ſibi ſolvere ante non potuerit l. 3. §. 1. ff. h. t. arbitrii tutoris eſt, utrum compenſare, an velit petere ſumptus *l. 1. §. 5. ff. h. t. l. 11. C. de Compens.* datur hæc actio, quamvis iudicio tutelæ non agitur. *l. 1. §. 8. ff. hoc tit.**

C O R O L L A R I A.

I.

Non dantur actiones ſua natura mixta tam in rem quam in perſonam.

I I.

Libellus tam ante quam poſt litem conteſtatam corrigi poteſt.

I I I.

Negotiorum geſtor tenetur de culpa leviffima.

I V.

Mulier S C r i Vellejani beneficio renuntiare poteſt.

V.

In donatione ſimplici non præſtatur evictio.

V I.

Major 17. annis poteſt eſſe procurator ad lites.

V I I.

In mutuo eſt alienatio.

F I N I S.

IN

I N L A U D E M

Nobilissimi ac Doctissimi

D. CORNELII RUYL,

Cum pro Gradu feliciter

De TUTELIS DISSERERET.



Ost tot sudores, & tanta negotia venit
Exoptata dies, quæ mox tibi gaudia
reddat.

Hoc, O CORNELI superest! ut cui-
que resistas,

Qui quærit mentem fictis deludere verbis.
Tunc Astræa tuos præcinget flore capillos,
Ac Professores juris, cunctusque Senatus,
Te celebrem dicent, juris, legumque peritum.
Hic in Lycæo doctè civilia jura,
Romani populi, legum, tutoris, & æqui,
Qui propugnasti vestro tutamine docto.
Fas tibi nostrorum sacrata resolvere jura est,
Ut poteris Belgis justas componere leges.
Extabis iudex recti, servator & æqui
Nec prece, nec pretio tu commovearis ab ullo.

Sic gratulatur

Amico suo integerrimo

G. W O R M, Juris-pr. Stud.

A P P L A U S U S
Perdocto Viro Juveni
D. CORNELIO RUII.
C U M
Juris utriusque Doctoratum auspicaretur.

*C*antat ut impavidus resonantia carmina nauta
*I*n portus placidos cum venit ille suos,
*O*mnes cum Scyllas simul hic omnesque Carybdes
*A*itavit; ridens turbida regna maris:
*R*ectè sic poteris tu nunc cantare Triumphum,
*R*efluit ad ripas vestra carina suas;
*N*ec scopulis, quos Juris habet Doctrina minaces,
*I*llisit; fructu sed tibi plena redit.
*E*t tibi Doctoris defertur digna Corona.
*S*isque quod hâc dignus comprobât ipsa Themis.
*L*aurus Apollinea hic dignissima tempora cingit,
*D*ivæ Justitiæ nam sacra jussa tenes:
*I*uraque nocturno studio versata diurno
*O*mnes nunc actus scriptaque vestra probant.
*O*ter felices! quis sic absolvere tantum
*C*ursum largitur! datque brabeia Themis!
*R*uilius absolvit, totâ applaudente Sophorum
*T*urba; ter felix! terque beatus hic est!
*V*incit cuncta fugax quamquam fortissima tempus,
*O*mnia sic superat continuusque labos:
*I*n vestris studiis semper sic tuque Laborans,
*R*uili, victa tibi cura molesta Scolæ.
*L*aurus nunc merito vobis hic traditur; omne
*I*us nam Belgarum Romulidumque tenes.

Amicus Amico cecinit
FRANCISCUS VAN BERGEN,
dictus MONTANUS, J. V. Stud.